



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 20. Otto Frisingensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII.  
A.C. 1147.

celebravit, præfente Adamo Abbate Eboracensi, qui S. Bernardi vices gerebat. Is Missa celebrata & invocato S. Spiritu suggestum conscendit, atque recitatis Epistolis Papæ & S. Bernardi, nempe illis circularibus, de quibus mentionem fecimus, sermone brevi & familiari præfentes ad suscipiendam sacram professionem hortatus est. Persuasit quod optabat omnibus, quippe propenso ad hanc rem animo advenerant.

Crucem illico gerere cœperunt Henricus Ratisbonensis Episcopus, Otto Frisingensis, & Keimbertus Passaviensis. Henricus Dux Austriæ, Regis Conradi frater quoque, Crucigerorum militiæ insertus est, cum Optimatibus innumeris. Illud vero portentum ac prodigii simile omnibus videbatur, quod raptorum & furum multitudo ingens ad recipiendam Crucem conflueret. Hæc enim mutatio cœlo auspice fieri credebatur. Ladislaus Dux Bohemiæ præterea, Odoacer Styriæ Marchio, & Bernardus Comes Carinthiæ haud diu post Crucigerorum agminibus se junxerunt.

§. XX.

*Otto Frisingensis.*

*Mart. Rom.*  
*15. Nov.*  
*vit. Ott. init.*  
*Chron.*

Otto Episcopus Frisingensis, a quo narrationem superiorem accepimus, genitus erat ex Leopoldo IV. Austriæ Mar-



Marchione, qui Catalogo Sanctorum ad Sæcul. XII.  
 scriptus, cultu Sanctis exhiberi solito A.C. 1147.  
 decima quinta Novembris honoratur, ab Radevic. II.  
 Innocentio VIII. Papa anno millesimo hist. c. II.  
 quadringentesimo octogesimo quinto,  
 post annos, ex quo obiit, ferme trecen-  
 tos & quinquaginta. Matrem nactus  
 erat Otto Agnetem Henrici IV. Impe-  
 ratoris filiam, quæ primis nuptiis Fride-  
 rico Sueviæ Duci juncta, ei pepererat  
 Fridericum, in Ducatu Successorem, &  
 Conradum Romanorum Regem. Itaque  
 Otto Conradi frater uterinus erat. Cum  
 Leopoldus Sanctus, Ottonis parens, fi-  
 lium literarum studiis admovisset, ipsum  
 postea Capituli Neoburgensis in Austria,  
 a se fundati Præpositum esse jussit. Sed  
 Otto cupiens profundiore scientia im-  
 bui, Parisios venit, ubi compluribus an-  
 nis versatus est. In itinere deinde con-  
 stitutus, & in patriam rediturus, Regu-  
 laris Disciplinæ, quam Cistercienses ser-  
 vabant, & virtutis, quam in Bernardo  
 suspiciebat amore captus, professionem  
 monasticam cum quindecim itineris so-  
 ciis in Monasterio Morimundensi am-  
 plexus est, ubi postea Abbas fuit. Rex  
 Conradus, ejus frater, anno millesimo  
 centesimo trigesimo octavo, ex illo Mo-  
 nasterio evocatum ad Episcopatum Fri-  
 singensem promovit, quem annis vigin-  
 ti rexit, Habitum Monasticum semper



Sæcul. XII. A.C. 1147. retinens. Otto bona Ecclesiæ Frisingensis alienata & dissipata collegit, ac Clericos Monachosque ad observandam Regulam compulit. Ceterum inter eruditissimos Germaniæ Episcopos locum tenebat, & pœne omnium primus Philosophiæ studium præsertim Aristotelis Logicam invexit. Vi dicendi pollebat, & sæpe de Ecclesiæ causis maximi ponderis coram Regibus & Principibus diserebat.

## §. XXI.

*Alii Crucigeri ex Germania.*

*Otto I. Frid.* Saxones quoque sacre militiæ se addixerunt, sed non cum ceteris Germanis in Orientem peregrinaturi. Cum enim propinquas Gentes Idololatriæ addictas haberent, in eas accepta Cruce conjurarunt, quod demum anno sequente exsecuti sunt. At vel solum militandi propositum magni boni causa extitit, nempe pacis in toto pœne Occidente universalis. Rex vero Conradus in Ascensione Domini, quod Festum hoc anno millesimo centesimo quadragesimo septimo in diem vigesimam nonam Maji incidebat, iter ingressus est, comitante nepote suo Friderico, Sueviæ Duce, qui etiam militiæ sacre nomen dederat, atque Hungaria, Bulgaria & Thracia peragratis, octava Septembris, ad urbem  
Con-